

17. 4

X 2002537

Xa  
3137

PALMA VIRESCENS,  
QVAM

# Panegyri publica

In  
ONOMASTERIO

*Reverendisfimi, Serenisfimi ac Celsisfimi Prin-  
cipis ac Domini,*

DOMINI  
CHRISTIANI,

DUCIS SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ  
ET MONTIUM, &c. &c.

Domini Sui clementisfimi,

Gratulabundus plantare  
debut

*Humillimus & devotissimus*

JOHANNES ULRICUS MAYER,

Delitiò Mifn. Phil, Baccal.

*Pridie Idus Maji, Anno c1s 1sc LXXV.*

LIPSIÆ,  
LITERIS CHRISTOPHORI UHMANNI



*REVERENDISSIMO, SERENISSIMO.*  
*AC. CELSISSIMO. PRINCIPI. ET. DOMINO.*

**DOMINO.**  
**CHRISTIANO.**

**DUCI. SAXONIÆ. JULIÆ. CLIVIÆ.**  
**AC. MONTIUM.**

**POSTULATO. ADMINISTRATORI.**  
**EPISCOPATUS. MARTISBURGENSIS. LAND-**  
**GRAVIO. THURINGIÆ. MARCHIONI. MISNIÆ.**  
**ET. UTRIUSQUE. LUSATIÆ. COMITI. MAR-**  
**CÆ. ET. RAVENSBERGÆ. DYNASTÆ. RA-**  
**VENSTEINII. &c. &c.**

**HANC. PANEGYRIN.**  
**DICO.**

REVERENDISSIME, ac SERENISSI-  
ME PRINCEPS AC DOMINE, DOMINE CLE-  
MENTISSIME,



Ignis an exercitii hocAcade-  
mici genus TUA foret *Celsitu-  
dine*, trepidandi ansam præbere  
non potuit non ultima, quæ de-  
ceat, lima. Veruntamen, quum  
literarum EAM ardere humani-  
tatem, non sim nescius, sensum  
gaudii, quod cepi ex REVIRESCENTE PAL-  
MA vix tralatitium, testatum hoc ipso ut facerem  
officium flagitavit. Ecquidni hanc TUÆ SE-  
RENITATI sacram velim oratiunculam? Quod  
si enim foedisimam Turcorum gentem ab iis,  
qui in ipsorum sunt imperio, Christianis, plus-  
quam stygiæ crudelitatis exemplo exigere par-  
tum primum, historici tradant, Quanto magis  
primitias TUÆ CLEMENTIÆ offeramAcade-  
cas? Suscipe igitur, PRINCEPS ILLUSTRIS-  
SIME, has à cliente æternum obstricto. Quæ,  
cum satis exiguæ; hæc tamen super omnem feli-  
citatem efferrentur fortunâ, si serenâ fronte ad-  
spicias, si propitiô gratiæ TUÆ favoniô adspires  
imposterum

*Devotissimum et humillimum*

Johannem Ulricum Mayerum,

Delitiô Misn. Phil. Baccal.

A 2

I. N. J.



I. N. J.

**T**antum dicendi munus me suscepisse, RECTOR  
MAGNIFICE, VIRI MAGNIFICI, SUMME RE-  
VERENDI, NOBILISSIMI, SPECTATISSIMI,  
EXCELLENTISSIMI, CONSULTISSIMI, EXPE-  
RIENTISSIMI, CLARISSIMI, DOMINI, PATRONI AC  
PRÆCEPTORES, VENERANDI, COLENDI,  
TUOQUE STUDIOSORUM LECTISSIMA CO-  
RONA, tantum dicendi munus me suscepisse, in coetum hunc  
maximè honorabilem, cujus ex adspectu fructus oculis ca-  
pio dulcissimos, repentinò aliquò motu si quis deferatur for-  
tè, sacrum, qui inflammârit ad illud mentem meam acriter,  
ardorem sciens cum ignarissimis, vitiò mihi daturum facile,  
confido. Ac nescio, non diffiteor, magisne invèhendum in  
hoc negotium ferociter, quod ausu plusquàm Icariò fuerim ag-  
gressus, quàm ornandum optimè verborum encomiis, quòd  
tantum pietati indulserim. Ea nimirum SERENISSIMI  
PRINCIPIS in Beatum Parentem, quem eheu! repentina  
mortis vis eripuit mihi, merita existunt, ut nec laudibus qui-  
dem summis maectare fatis, multò minùs autem dignas at-  
que decentes pro illis gratias rependere ullò temporis inter-  
vallò possim. Quum verò beneficiorum memoriam sanctè  
semper custodire, antiquissima naturæ lex existimata fuerit  
huc usque, quur molles adeundi quascunqve vias, quur fle-  
xuosa ego itinera, curiosâ sedulitate non circumspiciam?  
Circumspicio sanè, soliciteqve vestigo. Nam sine duce, &  
nullâ temporis oportunitate fretum, admissionum CELSIS-  
SIMI PRINCIPIS irrumpere sacrarium, quid, quæso, vide-  
batur aliud, quàm aut non agnoscere fatis, quæ in Parentem  
contulit indulgentissimæ benignitatis manus, quod infelicis  
imprudentiæ, aut negligere, ac parum vereri majestatem, quod  
manifestè impium foret? Sed quis non malit experiri Solis tam  
benigni radios propitios, quàm atrâ nube obscuratam faciem?  
Illa namqve compages, quâ cœlò derivata mens contine-  
tur,

tur, sicuti habet ab eadem, ut visu, ut sensu, ut auditu pol-  
 leat: ita ab ejus, cujus ditioni subjecta, divinâ & incredibili  
 virtute, sic libertatis splendore illustratur, felicitatis ac fortu-  
 narum penetratur radiis, ut totum se ei debere fateri ingenuè  
 necesse habeat. O virtutem beneficam! O beneficia vir-  
 tuosa! Quid? quòd canitiem venerandam adolescenti præ-  
 ceperit Cicero, quem, non tam ut hominem, Romanò lo-  
 quentem idiomate, quàm nescio quid homine majus, ipsâ  
 præceptorum ambrosiâ diffluens honestamus, colimus, ve-  
 neramur. QVIS PRINCIPI igitur honorem deneget? QVIS  
 observantiam recuset? Tali PRINCIPI, quem si justitiæ ve-  
 rendum libertatis in alios exercitium admirabilem omninò  
 reddiderunt. Quod, dum reputo mecum, AUDITORES, &  
 tantas PRINCIPIS virtutes pensitatione tacitâ æstimo, hem!  
 omnes sensus pertentari mihi videntur, ac externari penè in-  
 credibili voluptatis genere, & extra se poni. En verò tem-  
 pus datum! En occasionem tenendi cupita animo! En vo-  
 torum fiduciam! Fausto illucescit fidere CHRISTIANI  
 lux onomastica! Felici exortu pridianus Iduum Maji desi-  
 deriis nostris respondet! Cujus proinde animo lux hæc so-  
 lida non instellet gaudia? quur voluptate, quur lætitiâ non  
 perfundat? Ecquis in cæterâ concurrentium turbâ in aulam  
 festis tripudiis non advolet mecum, & lætantis, & adgratu-  
 lantis munere fungatur? QVIS non exclamet, quantâ pot-  
 est voce: O dies, non uberrimò cultorum foetivocalium,  
 non umbrosis densarum arborum cacuminibus, non molli  
 frondentium sylvarum partu, non blandis altivolarum a-  
 vium modulationibus, non annò formosissimò sed hoc sacro  
 & venerabili Sole beata ac felix! O tempus æstivum, quò  
 meritò salubres nos adspirant auræ! O hora anni, quæ ju-  
 re atque ordine à primò jubaris ortu, longissimò temporis in-  
 terjectò spatiò, in seram vesperam commodas nobis diur-  
 num lumen, quum CHRISTIANI, summi nominis, conce-  
 das usum, ò utinam, semper concederes! Te cogitabo jugiter!  
 Te revolvam cum animò! Te colam! Tui & nunc memo-  
 riam habeo, pietatis vi, & religiosis quibusdam stimulis qua-  
 si concitatus, qui acuant animum & excitent, in gratula-  
 tionum faustis, quibus prosequenda Principis erit *Serenitas.*

Ast verò, quid faciendum in præfenti potiùs, lætandumne de *nominalis* accessione, an ob ereptam ex insperato altissimam sobolem, ad mœstum murmur, & querimonias flebiles descendendum? hæreo dubius, & inter ancipites æstus jactor veluti. Equidem sanè, quorum diuturnior contigit usura, eorum tolerabilior quoque jactura videtur. Non, quod insolens jam cœperit fastidium, sed quia tempora, ducta longissimè infringant quodammodo vim desiderii ac præpediant. Et testor fidem vestram, AUDITORES, nonne naturæ magis debitum vocare consuevistis hunc extremum vitæ terminum, quum, quò deferatur grandis illa & defecta labore senectus, non superest; neque enim repubescendi, nec revirescendi spes poterat sedere mortalium cuiquam: contra verò acerbiorum existimatis eorum obitum, qui virides & in juvenante adhuc ætatis flore constituti efflant animam? Si autem nil prævaricari censendo, si candidissimè omnium mittere gestimus calculum, ignavo planctu persequendæ non erunt *Principum mentes altissimæ*, terris subtractæ quantumlibet, at reditæ supremo, & quod omnia moderatur, Numini. Horum enim sicut divina virtus, & modum omnem transgressa longè, non corporis fuit, sed animi veriùs, sic forma ejus, ut ipse animus, super omnes lacrymas posita veneratione summâ per omne ævum cohonestanda erit! æterna erit! immortalis erit! Parùm, *Princeps Reverendissime*, Parùm certè status Vestri meminisse me, hæc dum inani jactare studio sustinuerim, fateor ingenuè ac perlibenter. Is quippe ad publicam mundi lucem propiùs mihi videtur accedere. Nimirum ut ille ductor siderum, fulgentissimum ejus orbem quantumvis turbida offuscet nubecula, amando lumine nunquam destituitur tamen; Sic vestra *Rectores populi*, quâ exornatos inusitatâ ratione natura voluit benignior, nullis casibus neque agi valet, nec minui animi excellentia, sed una ac eadè semper est. Blandiatur nunc, & plenò amplexu ruat in VOS fortuna, non movemini. Interminentur calamitates calamitatum horribiles procellæ, non movemini. In numerosam prolem mors suam exerceat sævitiam, non movemini. Nudam & adjuvatore, & vindice orbitatem subninnuant tot luctuum publicorum nomina, non movemini.

Fleant

Fleant imbecilles, gemant delicatuli, DEO vos non ignoratis similes, non Deos, hoc est, æternos planè, nec obituros. Equidem in saxa & metallum converti divinos vestros nolim animos, quum ipsum salutis nostræ auctorem fuisse lacrymas in apricò sit; ast, permittere dolori, ut imperet animo, & supra rectam rationem se efferat, non herois est, sed timidi. Absint igitur lacrymæ! Absint luctus! ejulationes absint! Donanda alii fatuitas ista funeri, in Principe locum invenire nequit. Faustis ego vocibus astrepam! De nomine potiùs feliciter apparente gratulabor. Sed vehementer fallor aut ipse, aut illos recto deerrare certum est, qui dispares ingenio, nec proximi saltem in Principum descendere colloquia meditantur. Ego proinde, in quò vix erumpit robusta adeò dicendi vis, quæ pondere suo negotiorum magnitudinem æquet, heu! quid agam, aut quò me vertam nescio. Ad florentesne & planè divinas academi sylvas confugiam? at illæ, talia dum flagito, marcescunt veluti, impares sese his existimantes laudibus encomiisve. An literas advocem, atque, ut studia ne desint, contendam enixè, atque hæc abhorret animus, & sibimetipsi se subtrahit propè, quum in recogitationem laborum, literarum causâ susceptorum defertur fortè, nec tantum prodesse certit eorum tractationem, ut dignam *Tibi, Princeps celsissime*, pyramidem, dignum nomine amplissimò monumentum statuere possem. An verò à temporis longinquitate efficacissima solatia mens expetenda habeat? Non procrastinabo publica hujus diei juba. Quid faciam igitur? aut quò refugiam? Ad vestrum, AUDITORES, mite ingenium, ad miram comitatem, ad humanitatem summam. Ab hæc nempe veniam mihi polliceor, si dignum poculò non adferam operculum, si rem acu, ut dici solet, non ubicunqve tangam. Hominem sanè exuerit oportet, qui ingenti gemitu ejulatuqve deflendam judicet hanc lucem. Namqve, si eorum, quæ gesta tenus hac fuerunt undiqve, desiderio mens nostra recurrat aliquantulum, eja! festis gaudiis strepuere & adhuc strepunt omnia. Non templa augustissima, ob adfixum cruci JESUM planctu lamentisqve horribilia, sed ob confectos prosperè hostes, svavissimis vocum ac modulorum

concentibus festa lætaq̄ve sunt, Non humatum cum  
discipulis Emauntibus Salvatorem, narrant verbi ministri, sed  
progressum de tumulis, sed ex caliginosò terræ barathrò ere-  
ptum, sed divinæ thesauros misericordiæ recludentem re-  
ferti gaudiò clamitant. Non malevolorum artibus cir-  
cumscriptam & extra omnem solatii fiduciam desertam  
ac destitutam conscientia se ostendit, sed gaudio exsilit tota,  
& lascivit propemodum. Ecquid præteritis vos, AUDITO-  
RES, fatigo, quum, quæ non pluribus abhinc annis, non se-  
ptimanis haud ita multis, non nudius tertius, sed heri, sed  
hodiè evenerint, in Solis perscripta sint mensa. ¶ Quotum  
enim quemque in splendidissimâ hæc & maximè frequenti,  
quæ me circumstat, coronâ posse reperiri existimem, qui  
velut nectaris fontes & favos mellis hæc dimanare ab ore  
omnium non audierit: *Christus adscendit caelos!* Et ecce, inter-  
rupta acclamationum serie novus surgit cœli literarii Atlas,  
cœlestis cynosura inusitatos planè emittit radios! Surgit,  
AUDITORES, Surgit non CHRISTUS quidem ipse, at CHRIS-  
TIANUS tamen. Ille ergo, sicut manu assertum ivit, &  
sub benedictione sua, tanquam firmissimò alioquò clypeo  
est labores Apostolorum tuitus: Sic *Hujus* quoque serena  
imperii regimina sanctè sibi pollicentur in parendi necessita-  
tem obstricti. Quo fit, ut læti lætitiis omnibus gaudeant  
atque triumphent. Respicias, *Princeps illustrissime*, pigram il-  
lam & inertem ætatem, acutæ nares, collapsa tempora, o-  
culi concavi inundantis gaudii vi fundentes lacrymas, am-  
plissimo TUO subjicientur obtutui, & quorum anni linguam  
veluti vinclis quibusdam constringunt ac ligant, hi crebro  
& perpetuo cordis palpantis anhelitu lætitiâ pudere co-  
nabuntur. Intuearis juvenes, in illo vigore annorum abdu-  
ctos in se & attonitos quæstupore quòdam felicitatis hu-  
jus diei rapi in admirationem. Cernas pubem lectissimam  
cui, cum consilii maxima insit imbecillitas, eorum tamen  
ad instar, propter crebras contentiones præliorum ferocita-  
te victoriâque exultantium, effrenatam quasi, sibi que præfi-  
dentem, dum illud nunc oritur sidus beneficum, quod salu-  
tem parentum operetur, quod permittat facile, ut armis de-  
positis ad ultimum progredi ætatis gradum salva sospesque  
valeat.



valeat. O magnum gaudii ingenium! O igneas exultationum vires! Quod si enim illi, qui navigant mare, ventisque ac fluctibus capita sua credere non dubitarunt, mugientibus procellis & madidam minitantibus mortem, stellam conspicientes eminens, lætitiâ perfruuntur maximâ; quur nos tristi undiquaque bellorum furore, vultu, lacertis, pectore colligentibus iram hostibus, nec variis modò eorum fraudibus ac dolis, veluti cuniculis quibusdam suffosâ undiq; verum etiam profersâ vi & apertò Marte circumquaque oppugnata communi Patriæ re, quur nos, inquam, *nobilem n. minis Tui Phœbum*, qui in ultimas oras latè misit radios, sentientes ad spectu gaudiis non exulemus. Quis enim nescit *splendidissimam Saxonia domum?* Quem summum illud, & quod ducunt à DEO genus latere potest? Multum quidem ad tingenda artibus collaudandis pectora, doctrinæ faciunt; at, nec rectius quoque formare vitam posse judico, quàm, eum qui in optimi cuiusque intueatur assidue, qui exprimendam perpetuò sibi animo infigat penitus, Strenuus utriusque cultor, *Clementissime Principum*, à primâ adolescentiâ extitisti & adhuc. Et enim, pro DEUM immortalem! quàm in evolvendis omnis generis, omnis ævi scriptis exacuisti ingenium, quò divinò aliàs pollebas ita, ut abundares prorsus. Quà reverentiâ, quibus illecebris, insignia capeffivisti perfectissimorum Principum exempla? his neque sanctiorem, neque absolutiorem contingere Doctorem TIBI posse intelligens. Ut unò verbò dicam, virtutis ac gloriæ TE infinita tenuit ac inexplebilis cupiditas, Musarum sequutus & castra. En, votis respondet exitus, quas in tantò laborum sudore religiosè nuncupasti preces, ratae sunt. Namque, ut reliquarum rerum, per omne vitæ genus excellenter gestarum, splendorem, de quibus tempus me citius, quàm copia deficeret, silentii nunc involvam conopeò, hem! pietas qualem in TE sibi sedem elegit? quale virtutum magistra exemplum specimenque ostendit? Larvam scilicet à veritate dignoscere sapienter, sequi perpetuò supremum Numen, multam diei partem devotis sermonibus traducere, supplicare pro salute subditorum TIBI, & placitis DEI acquiescere, tum naturalis animi bonitas, tum, quod habes à Christo nomen sanctissimum

mum condoces facit. Ecquid de pietatis re multa hinc verba  
faciam, quum effluerit jamdudum & communicata sit  
cum omnibus? Singula namque templi marmora, testes  
audio locupletes. Nulla sacrarii fulcra possunt quiescere,  
sed me tacente in hæc erumpere verba mihi videntur.  
Quoad longissime respicere spatium præteriti temporis, & conditionis memoriam re-  
cordari licet ultimam, preces equidem fusas, monachorum murmures meminimus.  
Verum, quid hæc? inanes nugæ! risus megaricus! horrenda maledicta! Alium lon-  
gè nos adumbramus quotidiè Principem oratione & calidis pignantem lacrymis, id-  
que adeo, ut devincat invictum, atque ad exauditionem commoveat. Quò fit, ut  
naturæ quòdam auguriò vix dubitemus invicem, immistò cœlitum cœtibus principe  
piissimò & tenente affatim, quæ, dum intra nostros adhuc moratur ambitus,  
precari solet, reverenter colatur virtutum memoria à proceribus, à privatis,  
à multitudine. Neque nos extingvi eas mortali cum corpore patiemur temerè, sed  
æternitati dare studebimus, sed servare in exemplum posteris summopere semper ad-  
nitentur. O repletum sanctitate DUCEM. O pietatis ima-  
ginem! Quo minus mirari subit, quòd hoc virtutum fun-  
damentò nitatur justitiæ studium incredibile. Quis est, qui  
raptus, expilationes, aut ereptas per vim fortunas lamente-  
tur? Quis suum cuique tribuere hunc venerabilem & san-  
ctum facere PRINCIPEM, inficias eat? Accedat Irus, dum-  
modo ne veritatem simulet, & aperiat, quòd res est, nonne  
illos, quos fortuna discriminat alias, justitiam conjungere  
adsertabit? Progrediantur Croesi, atque an divexare infe-  
riores acerbissime, an culmò stramineò viliores liceat du-  
cere, fateantur. Nec absint nebulones, & inconditò mœ-  
rentis animi murmure patefaciant, num potuerit eorum vis  
atque nequitia in alios plurimum? Annon pœnas gravio-  
res, annon supplicia ipsa miseris, quos fecerant, non rarò  
debuerint? Adeò nempe invehere in perduelliones à SUM-  
MÒ PRINCIPLE jussi ocelli Patriæ Luckovvini magni; VVexius in tantum  
laudandus, in quantum virtus ejus intelligi potest. Noricus Jure-Consultorum  
Princeps, quem non Martisburgum, non Lipsia, sed omnis Germania admiratur;  
edecumatum atque fulgentissimum aula decus pariter & ornamentum Reinhardus,  
Svave nomen! & plures certè, quos debitò hinc venerari silentiò  
pagellæ cogit angustia. Omnem itaque rationis usum a-  
misisse videretur ille, qui constitutis tantâ æquitate rebus libe-  
ralem cessare voluntatem existimet. Cimon, quòd elegan-  
tissi-

tissimus Nepos refert, compotitus multiplici victoriâ & populum urbanum in suâ tenuit, potestate, & apud exercitum plurimum auctoritate valuit. Magnum atque eximium prorsus Ciceronis narraret coætaneus, nisi potestatem principi & obedientiam clementiæ magis studium, quam triumphus funestus conciliaret. Et hæc mirificè præstitisse Miltiadis progeniem, grave testimonium impertit ipse, repente subjiciens: *Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit.* Ille nimirum corpora tantum fragilia, hæc animos ipsos intermorituros nunquam subigere sine omni prorsus negotiò queunt. Hoc igitur Philtrum, hoc verissimum judicasti amatorium, hoc dignum nomine, dignum moribus *CHRISTIANI: Prodesse omnibus.* Quis enim duritiem in TE arguat? nemo, Quis illiberalitatis nomine incuset? nemo. Consilium & operam TUAM ingentissimò cum fructu quis est, qui se expertum abneget? nemo. Nemo igitur squalore & dejectò in terram vultu conspicietur hæc luce, sed lætitiâ referti animi tripudiant, exultant, puerorum in morem lasciviunt dicentes: O auspiciatissimum, neque in brevis ac temporarii boni spem, sed in fallax minimè felicitatis propriæ omen ad parentem diem! ô desideratissimas nobis prosperrimasque idûs Maji! Dabitur veniam, AUDITORES HONORATISSIMI, si officii sollicitudinem affectus elidit, si gaudia impetuosissima decori transfilière limites. Ecquid veniam à Vobis peto? Mentis Vestræ gaudent ipsæ abundantius, & instar irati amnis, per præcipitia montium decurrentis teneri non possunt, sed ruunt subito. Nec gaudent tantum, verum immortales atque demissas etiam pro tantò privilegiorum stabilimentò, pro muneris administratione exsolvunt grates. Quibus & meam nunc superaddo vocem, admirandam BENEFICI PRINCIPIS naturam agnoscens, auctumque eadem illâ debitum indicans. Satiùs hic foret equidem, quum nulla par ei inveniri possit oratio, facundia nulla sufficiat, declinare jejunæ atque ineptæ orationis famam, quam frigidè & parum pro dignitate explicando profiteri. Verum, quum voluntatem ad expungenda sufficere beneficia, summi viri existimarint assidue, neque TE, SAPIENTISSIME PRINCIPUM, TUÒ jure exacturum credo omnia. Ego, quantum in me erit, nunquam

Xa 2137

nunquam non admirabor, nunquam non justâ veham laude  
VIRTUTES TUAS, & victuris encomiis propagare ad po-  
steros non desinam. Maneant earum exempla nobiscum  
jugiter! *Quin Ipse maneat! Maneat diu Serenissima Conjux & inter  
faustissimos letissimosque vivat successus! ad caelos ferantur stirpis altissimæ  
surculi! In fulcra publicarum rerum, in regni & Patriæ incrementa,  
in Tui ipsius quoque senii solaria succrescant!* Justus imperes!  
Felix imperes! Absit Erynnis! Alecto absit! Pacem TUAM  
nemo temeret! Nulla tumultuum nutrix domi TUÆ reside-  
at! Adsit amor! Adsint faciles Gratia! Honor adsideat! Se-  
cundæ res comitentur! Felicitas omnis TECUM habitet!  
Servet TE DEUS incolumem! Servet TE salvum ubique au-  
ctor omnium! Tueatur PRINCIPEM! Bonis auctibus augeat  
DOMINUM! Dirigat actiones, ut cedant ex votò! Dirigat  
successus ut finiantur feliciter! Dirigat finita, ut profint plu-  
rimùm! Niteat GENTIS SAXONICÆ fulgor! Non alium  
sibi finem CHRISTIANI nomen metuat, quàm universitati  
rerum qui imminet! Vivat CHRISTIANUS feliciter! Vivat  
prosperè! Vivat diutissime! Vivat omnibus! Vivat  
subditis, & mihi vivat!

DIXI.



17. 4

X 2002537

Xa  
3137

PALMA VIRESCENS,  
QVAM

# Panegyri publica

In  
ONOMAS  
*Reverendisimi, Serenissimi  
cipis ac D*

DOM  
CHRIS

DUCIS SAXONIAE,  
ET MONTIUM  
Domini Sui cl  
Gratulabundus  
debu

*Humillimus &*  
JOHANNES ULF  
Delitio Misn. P  
*Pridie Idus Maji, Anno*

LIPS  
LITERIS CHRISTOPH

